DE CEPHALOTRIPSIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE II. M. JULII A. MDCCCXLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS CURCHOD
HELVETIUS.

OPPONENTIBUS:
A. de WYTTENBACH, med. pract.
G. MAYOR, med. et chir. Cand.
E. du BOIS, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO

DIET. GUIL. HENR. BUSCH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, INSTITUTI OBSTETRICII REGII DIRECTORI, EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAUTORI SUMMOPERE COLENDO

NEC NON

AVO ET PATRI

JO. GABR. CURCHOD

ET

FR. MARCO CURCHOD,

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Tam emendationes, quibus Illustrissimus Busch cephalotripterem Baudelocquii nuperrime exornavit, et quibus applicatio ejus partim facilior, partim utilior reddetur, quam casus ad hujus instrumenti administrationem idonei, qui proximis annis in instituto et policlinico obstetricio Berolinensi occurrerunt, sat largam mihi disserendi materiem praebere videbantur. Quod thema eo lubentius ad conscribendam dissertationem mihi elegi, quod alios casus ipse observavi, aliorum descriptionem accuratam in diariis clinicis, quae benevolentissime Ill. Busch mihi permisit, inveni. Gratias igitur ago maximas viro perillustri pro eximiis benignitatis documentis, quae non solum nunc, sed totum per tempus, quo scholas ejus frequentare mihi licuit, in me contulit.

Grato quoque animo semper reminiscar praeclarae humanitatis Dris. Ebert aliorumque medicorum assistentium, qui, ut fructum quam maximum e scholis clinicis caperem, plurimum contulerunt.

LIBRI COLLATI.

Baudelocque: Principes de l'art des accouchements. Paris, 1837.
Velpeau: Traité complet de l'art des accouchements. Paris, 1835.
Honoré Chailly; Traité pratique de l'art des accouchements. Paris, 1842.
Busch: Lehrbuch der Geburtshülfe. Berlin, 1841.
Busch: Theor. pract. Geburtskunde durch Abbildungen erläutert. 8. Berlin, 1834—38.
Busch: Atlas Ceburtshülfl. Abbildungen. Berlin, 1841.
Busch & A. Moser: Handbuch der Geburtskunde in alphabet. Ordnung. Berlin, 1840—41.
Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. VI.
Rintel: De cephalotripsia. Dissertatio inauguralis medico-obstetricia.
Herrmann Fr. Kilian, die Geburtslehre von Seiten der Wissenschaft und Kunst dargestellt. Frankfurt am Main 1840.

Si apud parturientem disproportio locum habet inter ejus pelvim et caput infantis vel aliam quamque praeviam partem, arti naturae nos succurrere oportet. Plerisque in casibus, ubi manus aut forceps ad extractionem sufficit, fere semper nobis contingit, ut et matrem et infantem incolumes servemus.

Aliis in casibus, in quibus disproportio illa gradum non mediocrem tenet, vel aliae accedunt conditiones infaustae, auxilia illa minime sufficiunt et nihil arti obstetriciae superest, quam ut vel infantem via artificiali educat (sectio caesarea), vel vias naturales amplificet (symphyseotomia), vel infantis volumen diminuat (cephalotomia et embryotomia). Tertium finem assequimur etiam cephalotripsia, id est operatione, quae perficitur instrumento singulari, a Baudelocque juniore invento et cephalotribe nominato. Haec operatio ejusmodi est, ut capitis infantilis aut ossibus compressis volumen diminuatur, aut forma ita mutetur, ut transitus per pelvim coarctatam fieri queat.

Jam ante Baudelocque auctores quidam hanc operationem mente conceperant, et instrumenta ad eam exsequendam proposuerunt. Secundum Velpeau (1) analogi

(1) Velpeau, traité complet de l'art des accouchements.

quidpiam cernitur in lithoclaste Le Catii (1), Assalini (2) 1810 notifecit conquassatorem capitis, forcipem compressorem (Cressella), Delpech (3), Cliet Lugduni (4), Osiander (5), Colombe (6), Holme (7) quisque instrumento aliquo ad perficiendam hanc operationem utebantur. Verumtamen Baudelocque, cujus instrumentum reliquis praestat omnibus, prospero operationum, quas eo instituit, successu aliorum attentionem ad eam advertit, palmam sibi peperit, cephalotripsiae dignitatem vindicavit, et locum inter operationes obstetricias ei conciliavit.

Instrumentum, quale Baudelocque invenit, descriptum invenitur in opere: Revue médicale francaise et étran-

---

(1) Recueil de pièces relatives à l'opération de la pierre etc. in 8o. 1752. pl. 4. fig. 3.

(2) Assalini nuovi stromenti etc. Pav. III. et observ. practic. de tutiori modo extrahendi foetum jam mortuum etc. Mediolan. 1810.

Gervasoni, sul'usu de nuovi stromenti di obstetritia del Prof. Assalini. Milano, 1811.

Ritgen, gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. VI. S. 196.

Busch, theoretisch practische Geburtskunde durch Abbildungen erläutert. pag. 556. fig. 490.

(3) Mémorial des hopitaux du midi et de la clinique de Montpellier, par le prof. Delpech. Montpellier, 1829. Nov. Frorieps Notizen. No. 575. S. 48.

(4) Thèse de Mr. Ordinair. Strassburg, 2 Août 1826.

(5) Ibid.

(6) Thèse de Mr. Bordarous. Paris, 1830. No. 224.

(7) Ryan, manual of midwiferi. pag. 608.

gère et journal de clinique de l'hôtel Dieu de la charité etc. Août 1829. (1)

Primitus instrumentum habuit pondus librarum octo et longitudinem enormem; postea Baudelocque mutavit (2) ejusque pondus ad libras quinque reduxit. Gourdon (3) etiam idoneam ejus immutationem fecit. Forceps quoque Ritgenii (4) nihil est nisi cephalotripter Baudelocquii modificatus.

Mutationes, quae utilissimae mihi videntur et aptissimae, ut instrumenti usus facilior, tutiorque reddatur, pluribusque adaptetur, Illustrissimus Busch instituit.

Tali ratione modificatum multo antecellit instrumento Baudelocquii, quamobrem verbis uti liceat, quibus Busch ad descriptionem ejus usus est. (5)

Totum instrumentum cum trochlea pondus habet librarum quatuor, cui ponderi nihil detrahi debet, ne

---

(1) Vide Institut Royal de France. Juillet. Seance de Lundi 6. pag. 322.

Papius, Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. VI. pag. 181.

Busch, theoret. praktische Geburtskunde erläutert durch Abbildungen. pag. 557. f. 491.

Handbuch der Geburtskunde in alphabetischer Ordnung von Busch et Moser. Bd. I. S. 583.

(2) Gazette médicale de Paris No. 44 et 45. Paris 1834.

(3) Thèse et journaux de Médécine. 1833.

(4) Gemeinsame Deutsche Zeitschrift etc.

Busch, theoret. praktische Geburtskunde etc. pag. 557.

(5) Atlas geburtshülflicher Abbildungen. Berlin 1841. pag. 132-133.

vis ejus nimis diminuatur et dum chalybis elastici mobilitatem obtineat, elabatur; majus autem pondus, quod primitivum Baudelocquii instrumentum habebat, partim supervacuum erit, partim operationem disturbabit. Maximi momenti ejus curvatura est pelvi respondens, quippe quae pollices quatuor super faciem horizontalem adscendere debeat. Ab hac enim pendet, caput infantis in pelvis axi recte prehendendum, quod, si minor est illa curvatura, fieri nequit. Sin curvatura major est, periculum existit, ne partes molles anteriores matris simul prehendantur.

Cochlearia instrumenti pollicis et trium linearum longitudinem aequant, externe leviter convexa, interne paulo concava sunt; apices eorum lati fere per longitudinem pollicis firmiter committuntur, quo praecipue impeditur, quominus instrumentum elabatur. Claustrum idem quidem est, quod forceps cephalica habet, fortius autem et manubria eminentiis hamatis instructa sunt, quippe quae inter extractionem, imprimis si cochlearia distorqueantur, ad meliorem applicationem utilissimae sint. Manubria latitudinem linearum sex, crassitiem linearum duarum habent; illud necessarium est, ne instrumentum elasticum sit; trochlea septem pollices longa, sat fortis, non nimis ponderosa est. Apertura trajiciendae trochleae inserviens in cochleari dextro eam longitudinem habeat necesse est, ut manubriis maxime distantibus trochlea aperturae cochlearis sinistri exacte respondeat. Totius instrumenti longitudo undeviginti pollices adaequat, quam elongata apertura trochleae sinistri cochlearis pollice uno excedit. Longitudo manubriorum inde a trochlea usque ad axim claustri pollicum novem et dimidii longi-

tudo cochlearium ab axi claustri usque ad extremitatem superiorem totidem pollicum est. Cochlearium apices clauso instrumento longitudine pollicis firmiter inter se committuntur. Diametros transversa maxima curvaturae cephalicae, quae in Baudelocquii instrumento pollicem unum ac dimidium metitur, modo pollicem unum adaequat. Manubria, quo firmius applicari possint manus, sulcis cruciatis instructa sunt.

Quod ad instrumenti applicationem pertinet, nullo pacto ab adhibendi genere forcipis discrepat, quamobrem descriptione illius fusiore supersedebo. Cochlearia applicata claustro junguntur et manubria rotationibus trochleae perfecte committuntur.

Nemo non intelligit, quanta esse debeat actio instrumenti, cujus vis cum illa, qua ossa frangenda resistunt, proportionem alit ut 1:165. Duo capitis parietes, quibus cochlearia instrumenti imponuntur, hac vi ingenti adeo appropinquant, ut capitis diametros una ad spatium, quod inter duo cochlearia intercedit, scilicet pollicis redigatur. Cerebrum plerumque, at non semper effluit per orbitas, aut per nares aut per os, quod si non evenit, instrumentum ita egit, ut capitis volumen haud diminueret, sed aliam tantam formam ei impertiret. Ossa cranii plerumque introrsum comprimuntur, nonnunquam franguntur. Basis cranii alias modo fracta, modo in obliquum aut perpendicularem situm dislocata reperitur. Externa capitis integumenta plerisque in casibus integra servantur.

Caput ab utroque latere compressum angustius fit, sed longius, et diametros ejus maxima directionem diametri pelvis transversae tenet (imprimis hoc valet de pelvi rhachitica, cujus transversa diametros plerumque amplificatur); hinc

efficitur, ut cochlear muliebre in latere dextro pelvis positum sub symphysi collocetur, cochlear autem masculum in latere sinistro locatum ante os sacrum ponatur; accidere autem potest, ut utrumque cochlear situm contrarium occupet; quidquid autem est, instrumentum quartam circuli partem describit et claustrum, antea horizontale, ita vertitur, ut perpendicularem directionem obtineat et ad femur mulieris spectet. Hic instrumenti motus, ad quem Illustrissimus Busch primus animum attendit, in casu primo et quarto infra allegando evidentissime observatus est.

Instrumentum elapsum denuo applicatur, aut si fieri potest, infans forcipe vulgari, aut hamo extrahitur.

Cephalotripsia iisdem rebus, quibus perforatio capitis, indicatur, quare descriptionem singularem omittam. Adnotabo tantum, cephalotripsiam minime esse operationem, quae sectioni caesareae locum supplere possit, maximeque esse mirandum, tam perversam opinionem a Papius (1) et Chailly (2) esse defensam. Substituitur cephalotripsia in locum perforationis, imo nonnullis in casibus, verbi causa, si caput sedem tenet altissimam pelvisque maxime coarctata est, haec praeferenda videtur.

Cephalotripsiam vero praeponendam esse puto perforationi, si modica capitis compressio sufficit, si ossa admodum dura cephalotripteri facilius cedunt, perforatori

---

(1) Busch et Moser. Handbuch der Geburtskunde in alphabetischer Ordnung. pag. 585.

(2) Honoré Chailly, traité pratique de l'art des accouchements. Paris 1842.

autem multum resistentiae offerunt; praesertim haec operatio tum utilissima est, cum, forcipe longius per tempus frustra adhibita, infantis mors certa aut inevitabilis videtur. Perforationi enim eo praestat, quod caput infantis volumine diminutum eodem instrumento extrahi potest.

Utilitas cephalotripteris ad extractionem evidenter prodit ex casu, qui nuper Vratislaviae occurrit, quo post institutam perforationem et cerebrum effusum, extractione per hamulum, deinde per forcipem frustra tentata, postremo ad cephalotripterem confugi oportebat, ut fieret extractio; nam ut supra adnotavi, non eo tantum prodest, quod capitis volumen diminuit, sed etiam formam ejus mutat, ut formae morbosae pelvis respondeat. Caeterum cephalotripsia non modo a parturiente facilius sustinetur, verum etiam minus tetri habet quam perforatio. Quibus in casibus Berolini instrumentum applicatum est, nunquam unum alterumve detrimentorum, quae usum ejus excipere dicuntur, sese obtulit, mihique persuasum est, omnia posse vitari, dummodo sat attentionis dexteritatisque applicationi ejus impendatur. Multi quoque obstetricatores, qui instrumentum antea plane repudiabant, nunc ejus usum commendant. Ill. Busch, qui et ipse cephalotripterem antea rejecit, tales ejus emendationes instituit, ut majore cum fructu nunc adhiberi possit. Professor Nägele, antehac hoc instrumentum deridens, semestri superiori, quo ejus scholis interesse mihi licuit, utilitatem ei non derogavit.

Dubois cephalotripterem in Clinico suo obstetricio administrat, plures medici Parisienses eodem in praxi privata utuntur et omnes fere medici Gallici, inprimis Velpeau, Chailly, in ejus laude consentiunt.

Cephalotripter, quod equidem sciam, Berolini tantummodo in instituto et policlinico obstetricio, quae Illustr. **Busch** moderatur, octies adhibitus est. Primi quatuor, qui usu veniebant, casus a doctore **Rintel** in dissertatione (1) sunt descripti; quatuor reliquos qui ex eo innotuerunt, ego consignare mihi proposui. Adnotare licet, exitum lethalem, qui octo casibus semel evenit (2), non imputandum esse instrumento ipsi, sed imperitis et rudioribus manipulationibus, quibus obstetricatores urbani parturientem antea submiserant.

Casus I.

Christiana K.... sutoris nupta, novem et triginta annos nata, tertium pariens, scrophulosum habitum exquisitum offerens, adhuc vestigia hujus dyscrasiae, qua usque ad vitae annum decimum quartum tentabatur, exhibet. Valetudo ejus universa maximam partem adversa fuit, multos enim morbos, haud mediocres sustinuit. Moliminibus menstruis longum per tempus praegressis, anno aetatis vicesimo demum catamenia apparuerunt; ab illo autem tempore quaternis hebdomadibus redierunt et per triduum vel quatriduum fluxerunt. Profluvium admodum parcum fuit, sanguis pallidus, prodromi vehementes, nimirum dolores ventri et regionis sacrae, moliminibus parturientium similes.

Adhibito **Baudelocquiano** pelvimetro pelvis ab ultima vertebra lumbari ad marginem usque superiorem

---

(1) **Rintel**, de cephalotripsia ratione imprimis habita cephalotripteris Baudelocquiani. Dissertatio inauguralis.

(2) Vide **Rintel**. Casus secundus.

symphysis ossium pubis pollices sex et dimidium habuit; conjugata diagonalis, applicato pelvimetro simplici Steinii, pollices tres et decem lineas; proinde conjugata superioris aperturae pelvis pollices tres et lineas quatuor aequabat. Excavatio lateris sinistri pelvis aliquanto minor fuit quam lateris dextri.

Inter primum partum, cum post horas sedecim nondum esset absolutus, doctor Meyer forcipem applicuit; omnia vero ejus conamina frustra fuerunt, forcipe continuo elapsa, et doctor Schöller demum ex instituto obstetricio accessitus, fortioribus tractionibus efficere potuit, ut infans vivus quidem, sed post horas aliquot obiens, in lucem ederetur.

Secundum inter partum, die 5. mensis Aprilis 1839, post aquarum defluxum haemorrhagia accessit, quamobrem Dr. Behrend forcipem adhibuit et tractionibus fortioribus frustra institutis excerebrationem forficibus hamulisque perfecit.

Tertius partus (27 m. Aprilis 1841) ita processit, ut dolores praesagientes triduum continerent, tertio demum die vesica rumperetur et funiculus umbilicalis procideret. Medicus advocatus haec invenit: caput praevium, altum, situm occipitalem tertium, promontorium digitis duobus facile attingendum, juxta sinistrum capitis latus magnum laqueum funiculi umbilicalis prolapsum, os uteri apertum. Manu tota tantum immissa effici poterat, ut funiculus umbilicalis adhuc pulsationem exhibens pone caput reduceretur. Auscultatio docuit cordis ictum tardum et debilem, reposito funiculo, frequentiorem et validiorem evasisse. Molimina ad partum cum nimis exigua essent, secale cornutum praebebatur. Caput firmius pelvi minori obnitebatur, funiculus umbilicalis non amplius procidit, augescente

moliminum vi et cordis ictu atque rhythmo cum norma consentientibus, sed ne haec molimina quidem partum promovebant, quare sub horam antelucanam tertiam forceps applicabatur. Cum tractiones fortiores octodecim caput haud movissent, a conatibus frustaneis abstineri necesse erat. Postquam puerpera per horam conquieverat et auscultatio mortem infantis indicaverat, circa horam matutinam sextam, praesente professore Illustrissimo Busch, cephalotripter adhibebatur. Infans interea situm occipitalem secundum occupaverat; cerebrum per orbitam sinistram effluxit et intra decem circiter minutas ope illius instrumenti absque difficultate et dolore infans masculus, pondus librarum octo et dimidiae, longitudinem pollicum undeviginti habens, eliciebatur. Foetus intra pelvim minorem, ita in diametrum transversalem vertebatur, ut forcipis cochlearia inter transitum alterum super altero collocarentur. Partu finito mulier quidem exhausta fuit, mox autem vires recuperavit, ut tempore debito puerperii elapso, valetudine integra gaudens, ex instituto discederet.

Sectio infantis. Organa corporis interna omnia prorsum integra apparuerunt, multum sanguinis extravasati super totum caput infra cranii integumenta diffusum. Cochlear masculum cephalotripteris majori ex parte supra sinistrum ossis frontis latus usque ad marginem orbitalem sinistrum consederat, partem tamen minorem lateris sinistri ejusdem ossis prehenderat. Proinde dextra pars modo incuneata, sinistra autem fracta et intra cranii cavum depressa erat, cutis fracturae superintenta valde contusa et partim rupta. Eodem in latere paries superior orbitae sinistrae perforatus et cerebrum super bulbum effusum, orbita dextra haud laesa.

Cochlear muliebre ossi bregmatis dextro insederat, idque juxta suturam lambdoideam satis alte in cavum cranii depresserat, neque vero ossium fracturam, neque integumentorum rupturam effecerat. Itaque totum sinciput oblique a parte sinistra anteriori ad dextram posteriorem compressum erat. Basis cranii integra inter cochlearia cephalotripteris obliqua steterat.

Casus II.

Ludovica S..... textoris nupta, quatuor triginti annos nata, primipara ob vitae rationem pravam, qua infantili aetate uti coacta erat, morbo rhachitico laboraverat, indeque gracilem corporis habitum tulerat.

Pelvimetrum Baudelocquii pollices 6, Steinii pollices tres et lineas quatuor, indicavit; ergo conjugata pollices duos et lineas decem aequavit.

Hora matutina quinta diei 16. m. Maji 1841 primi apparuerunt dolores et sub horam antemeridianam nonam os uteri aperturam grossi argentei magnitudinem obtinuit. Exploratio externa infantis extremitates in parte uteri superiori sinistra positas indicavit, dextrum uteri latus magis expansum fuit, cordis ictus foetalis ibidem luculenter audiebatur, infantis partes teretes sentiebantur.

Interna exploratio pelvis coarctationem supra dictam afferebat, promontorium digito indice poterat attingi, diametros transversa aperturae superioris amplificata et dextrum pelvis dimidium minus sinistro. Molimina foetum propellebant et vesicam intense urgebant, minime tamen caput ab alto loco detrudere poterant, caeterum jam dolorifica et brevia procedente tempore dolorificentiora et

breviora reddebantur, ore uteri non amplius patescente, sed duro atque tenso. Quamobrem sub meridiem doses duae granorum duorum radicis Ipecacuanhae et laconicum adhibebantur. Moliminibus hinc firmatis atque diuturnioribus ita parturitio processit, ut hora nocturna tertia os uteri perfecte aperiretur, pauloque post vesica rumperetur. Sed etiam nunc caput locum altiorem non reliquit, inter promontorium et arcum pubis fixum stetit juxta dextrum capitis latus, funiculi umbilicalis laqueus procidit, quem practicans reponere frustra studuit, cujusque pulsationem Doctor Ebert post aliquod tempus accessitus debilem invenit. Facile erat intellectu ob capitis sedem altissimam forcipis applicationem difficillimam et propter insignem pelvis coarctationem foetus evolutionem, etiam si contingat, tam diuturnam fore, ut infans, prolapso funiculo umbilicali, mortuus ederetur. Quum capitis firmissime incuneati causa de versione cogitare non liceret, sola ratio, qua infaustis vita possit servari, in eo erat, ut funiculus umbilicalis reduceretur et capitis positio forcipi applicandae opportunior exspectaretur. Repositio funiculi bacillo Schölleriano quidem perficiebatur, sed diametros transversa aperturae superioris tantam habebat amplitudinem, ut funiculus pone caput feliciter reductus, quovis novo molimine prolaberetur. Quum inter haec pulsatio funiculi umbilicalis et cordis ictus foetalis plane cessassent, sperandum non erat, fore ut infantis vita servaretur.

Forceps quidem applicabatur, verumtamen caput loco alto, quem occupabat, immotum tenebatur, qua de causa, ne tractionibus violentioribus et partium sexualium contusionibus vita matris in discrimen vocaretur, paucis

tractionibus forcipe institutis, ad cephalotripteris usum confugiebatur. Quo facile adhibito cerebrum effluxit, caputque in pelvim minorem descendit, ubi instrumentum, cum intensius attrahetur, quod opus erat, elabebatur.

Altera applicatione feliciter caput eliciebatur, situm occipitalem tertium tenens; ad humeros excutiendos nova tractione fortiori opus erat. Operatio per cephalotripterem instituta minutas octo perduraverat; cochlearia instrumenti primam inter applicationem partim fronti, partim occipiti imposita, caput a sinistra et anteriori parte ad dextram et posteriorem, inter secundam applicationem a dextra et anteriore ad sinistram et posteriorem compresserant, ut non modo omnia cranii ossa superiora pluribus locis, sed etiam basis cranii fracta esset. Capitis integumenta integra erant, cerebrum per orbitas effusum.

Casus III. Hic casus in instituto obstetricio Berolinensi obvius pertinet ad Carolinam B...., 23 annos natam, primiparam, quae rhachitide exquisita laboraverat, id quod non modo intuitui externo sese manifestabat, nempe scoliosi, cruribus aduncis etc., sed etiam interna exploratione confirmabatur, nam, pelvis mensuratio conjugatam aperturae superioris tres pollices aequare, et diametrum transversam amplificatam esse ostendit. Postquam prima parturitionis periodus per dies plures protracta et os uteri per horas triginta sex apertum fuerat, die sexto m. Decembris 1841 sub horas matutinas vesica rumpebatur, partus autem nihil promovebatur. Os uteri inter haec laxum prominebat in pelvim, digito facile extendebatur et infantis caput praevium, situm occipitalem primum tenens, parum procedebat. Ictus cordis foetalis manifestissime audiebatur; molimina brevia et dolorifica fere nihil partum

juvabant; ut augerentur borax praebebatur totamque per noctem usus ejus continuabatur. Altero mane balneum calidum cum floribus chamomillae administrabatur, in quo parturiens per horam dimidiam desidebat, pulsuumque frequentia mox augebatur, effectus autem salutaris ad partum promovendum desiderabatur. Cum igitur exspectare non liceret, partum sine artis auxilio absolutum iri, sub horam vespertinam septimam forceps a Doctoribus Langheinrich et Klein applicabatur, ut infantis extractio tentaretur.

Sed duodeviginti tractionibus factis, caput vix aliquantulum processerat. Cum ergo longior foetus retentio in utero tam hujus quam matris vitae periculum minari videretur, ad tuendam matris vitam cephalotripteris usus decernebatur. Ictus cordis faetalis per diem debilior et obscurior evaserat.

Dr. Langheinrich Baudelocquii instrumentum a Prof. Busch emendatum eodem praesente adhibuit. Quum primum cephalotripter effectum exercere coeperat, ossium cranii fractio clare audiebatur. Capitis volumine hac ratione diminuto, tractionibus quinque aut sex caput educebatur, et infans maturus, pondus librarum quinque et trium quadrantium, longitudinem duodeviginti pollicum habens, in lucem edebatur. Explorato infante, ossa bregmatis, quibus instrumentum insederat, plane conquassata inveniebantur. Basis cranii minus diffracta quam inversa videbatur. Post operationem puerpera languorem, sed levamen sensit; noctu inflammationis symptomata apparuerunt, quae strenuam antiphlogosim exigebant, et multum periculi portendebant. Paulo autem post haec symptomata cesserunt et puella exeunte mense Decembri in integrum fere re-

stituta, die decimo quinto mensis Januarii 1842 perfecte sanata institutum reliquit.

Casus IV.

Carolina S.... pedissequi conjux, 35 annos nata, multipara, corporis validi, aliquando summa cum difficultate, nec nisi forcipe adhibita, alias partu praematuro artificiali, infantem edidit. Adhibito utroque pelvimetro, conjugatae amplitudinem pollicum esse trium et linearum quatuor vel quinque, patebat. Graviditas, de qua hic agitur, decursum habebat normalem et cum infantem maturum edere mulier gestiret, partum praematurum artificialem recusabat. Die quarto mensis Martii a. 1842 sub horam matutinam decimam, absque praegressis aut subsequentibus doloribus, magna aquae copia subito proruit, qua sese impediri non passa est, quominus labores domesticos usque ad horam pomeridianam primam continuaret. Obstetricatores urbani hora tertia pomeridiana hanc mulieris conditionem invenerunt. Os uteri laxum circiter amplitudinem trium habebat pollicum, nulla infantis pars sentiebatur, duobus autem digitis immissis versus dextrum latus caput praevium situm occipitalem primum tenens, aegre tangebatur; juxta sinistrum ejus latus convolutum sat magnum funiculi umbilicalis, cujus pulsatio aliqua fuisse dicitur, prolapsum reperiebatur; dolores erant nulli; quum doses tres secalis cornuti nihil mutationis effecissent, quatuor Ipecacuanhae doses, sed hae quoque sine fructu, exhibebantur. Inter haec nonnulla funiculum umbilicalem reponendi conamina instituebantur, quibus irritis, versio in pedes tentabatur. Quae cum perfici non possit, caput osse cochlearis vectis

loco adhibitis, ad pelvim deducebatur, et forceps inter horam pomeridianam quintam et sextam applicabatur; integram per horam tractiones, sub quibus lipothymiae plures parturienti superveniebant, frustra instituebantur. Quum caput integrum pelvim permeare non posse intellectum esset, ad cephalotripterem confugere placuit, et hunc in finem ab instituto obstetricio auxilium petitum est. — Dr. Langheinrich, cum studiosis nonnullis ad parturientem missus, caput introitu pelvis incuneatum et cephalotripsiam indicatam reperit. Partes sexuales prioribus manipulationibus et operationibus dilatatae instrumentum facillime applicari et contorqueri patiebantur, quo facto strepitus ossium diffractorum audiebatur. Caput conquassatum tractionibus aliquot in pelvis excavationem promovebatur, quo factum est, ut manubrium cochlearis muliebris sursum et dextrorsum, cochlearis masculi deorsum et sinistrorsum dirigeretur.

Cum instrumentum tali modo impositum multa cum difficultate regeretur, denuo applicabatur. Pluribus tractionibus, sub quibus cerebrum et sanguis effluxerunt, opus erat, ut caput ad vulvam usque demitteretur, quo in lucem prodeunte, instrumentum elapsum est. Cum experimenta caput manibus extrahendi male cederent, forcipis ope evolvebatur et mox adhibitis aliquot tractionibus, totum corpus infantis, septem librarum pondus, viginti pollicum longitudinem obtinentis, sub horam vespertinam nonam emittebatur.

Cephalotripsia multo minus incommodi, quam praegressae manipulationes, intulerat puerperae, quippe quae post operationem bene se haberet. Tota operatio circiter horam dimidiam expleverat.

Caput infantis exploratione postero die instituta haec obtulit.

In utroque capitis latere altae depressiones, instrumenti cochlearibus effectae, animadvertebantur, quae in dextro regionem temporalem et malarem tenebant, in sinistro pone aurem usque ad cervicem porrigebantur. Integumenta externa lateris dextri, qua os bregmatis, frontis et sphenoideum coeunt, per longitudinem pollicis et latitudinem pollicis dimidii rupta erant; oculi nullum sanguinis extravasati vestigium ostendebant, neque minus cavum narium et oris sanguine carebant.

Sub galea aponeurotica stratum sanguinis effusi linearum complurium crassitie deprehendebatur. Partes singulae ossium cranii hanc indolem ostendebant: Os frontis integrum erat aeque atque os zygomaticum, os bregmatis dextrum medium diffractum inde a parte anteriori tertia suturae sagittalis usque ad processum zygomaticum et fragmenta inter se diducta; altera fractura a media sutura sagittali usque ad mediam partem fracturae jam descriptae tendebat, ita ut pars triangularis prorsum diffracta esset, cujus modo basis suturae sagittali adhaerebat. Tertia fractura lineam describens arcuatam per medium os bregmatis a sutura lambdoidea usque ad angulum inferiorem ossis frontis decurrebat et reliquas fracturas decussabat. Os temporum lateris dextri laesione carebat. Ossis bregmatis sinistri pars triangularis duabus fissuris, a tertia parte posteriori suturae sagittalis orientibus et supra tuber parietale in angulum acutum coeuntibus, plane soluta erat, excepto apice trianguli, qui prope tuber parietale cum osse bregmatis reliquo cohaerebat. Proinde sutura sagittalis, excepto frustulo parvo inter media ossa bregmatis

posito, omnino lacerata, nec non conjunctiones ossium bregmatis et occipitis per totum ambitum solutae erant. Basis cranii in latere dextro fissura transversa inde a foramine magno usque ad alam minorem ossis sphenoidei ejusdem lateris decurrente diducta apparebat. Cerebri dimidia pars effluxerat, altera pultis sanguineae instar basi cranii incubuit.

VITA.

Henricus Franciscus Ludovicus Curchod natus sum Vevey, Helvetiae urbe, patre Francisco Marco, matre Susanna Ludovica de gente Dapples, die XXVII m. Aprilis a. 1820. Primis litterarum elementis in urbe Vevey imbutus, in gymnasio, quod Lausannae floret, studia humaniora usque ad vitae annum decimum sextum colui. Quo facto Stuttgardiam petii et in classe suprema gymnasii disciplinis philosophicis et naturae scientiis operam dedi, eademque studia ad academiam Lausannensem redux factus per annum unum et dimidium continuavi. Quibus absolutis anno h. s. trigesimo octavo Tigurum me contuli, ibique per semestria duo, deinde Berolini per semestria tria, tum Heidelbergae per unum semestre, postremo Berolini per annum in medicinam, chi-

rurgiam et artem obstetriciam incubui. Docuerunt me: anatomiam et physiologiam Ill. Fr. Arnold et J. Mueller; anatomiam comparatam et pathologicam Ill. J. Mueller; cadavera secandi artem uterque; botanicen generalem et specialem Ill. Heer et Bischoff; chemiam Ill. Loewig; historiam naturae generalem Ill. Oken; zoologiam Ill. Lichtenstein; pathologiam generalem Cel. Henle; specialem Ill. Schoenlein; auscultationem et percussionem Cel. Romberg; pharmacologiam Ill. Link; materiam medicam Cel. Mitscherlich; chirurgiam generalem et specialem Ill. Juengken; operationes instituendi artem Ill. Chelius et Schlemm; ophthalmologiam Ill. Chelius; artem obstetriciam Ill. Kluge et Naegele; acologiam Cel. Breidenbach; operationes ophthalmiatricas instituendi artem Ill. Juengken et Cel. Angelstein; exercitationes obstetricias in machina Ill. Busch.

Clinica frequentavi medica virorum Ill. Schoenlein, Romberg, Barez, Puchelt; chirurgica Ill. Juengken, Dieffenbach, Chelius; obstetricia Ill. Kluge, Naegele et Busch.

Quibus praeceptoribus dilectissimis atque de me meritissimis gratias ago quas possum maximas semperque habebo.

Jam absolutis tentaminibus et examine rigoroso, fore spero, ut defensa dissertatione thesibusque summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Specificorum et aliorum remediorum agendi ratio non discrepat; si igitur specifica remedia vocamus, actionem eorum nos ignorare declaramus.

2. Homoeopathia et Hydropathia quibusdam in casibus a medico vero cum fructu adhiberi possunt.

3. Homoeopathia aliquando prodest eo, quod haud nocet; saepe nocet, quod non prodest.

4. Vivum foetum interdum necare licet.

5. Iridectomia iridodialysi praeferenda.

6. Si desideriis naturalibus sic satis fit, ut in doctrinam moralem peccetur, oeconomiae organicae perturbationes oriuntur.